



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrum Misericordiae Palativm

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi
peristromatibus exornatum

Gazaeus, Nicolaus

Augustae Trevirorum, 1618

Eleemosynam ratione vtentibus, & non brutis animalibus faciendam esse,
Cap. 34.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54477)

tionem prouocatur Zacheus? arbitror ego
quia auream Philosophi nouerat sententi-
am: *Beatius est magis dare, quam accipere,*
quam etiam docent, tum Saluator noster,
tum doctor gentium Paulus Act. 20. Sed
quibus pauperib⁹ dandum sit inquiramus.
multiplicia enim pauperum genera sugge-
gerit hoc verbum (*Pauperibus.*)

7. *Conditio.*

ELEEMOSYNAM RATIONE
VTENTIBVS, ET NON
BRVTIS ANIMALIBVS FA-
ciendam esse.

CAPVT XXXIV.

RECTÈ admodum reuera in Eleemosy-
næ conditionibus numeratur, quod
Zacheus animaduertit, genus nempe Pau-
perum cui Eleemosyna sit impendenda.
Quæ enim à rationis vsu alienis, animalibus
que brutis tribuuntur, non Eleemosy-
næ sed prodigalitatæ nomen sibi vendicât.
Quod tamen in hac ætate dolendum est.
Sunt enim pleriq; qui pluris canes, boues,
oues & huiusmodi animalia faciunt, quam
indigentia Christi membra, nunquid hoc
opus


opus abominationem iure dixerim? Hanc miseriam plangit Dominus cum inquit: *Cadit asinus & est qui subleuet, perit anima, & non est qui recogitet.* Similes sunt impiissimo Regi Achab, qui post longam incediam atque sterilitatem seruo suo ait: *Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte possimus inuenire herbam, & saluare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant.* Iumentorum suorum curam habet, & famelicorum hominum indigentiam non curat. Aliter sanè Sabaudia dux pijssimus Amedeus fecit, qui rogatus à nonnullis nobilibus vt venatione ceruum aliquem aut feram infectaretur, vtque venaticos canes ostenderet, respondit: *Craftina die venationem meam vobis demonstrabo.* Altero igitur die facto, cum nobiles conuenissent, eis in aula quadam, summam pauperum multitudinem quos per dies singulos alebat demonstrauit, inquit: *hi canes venatici sunt quos alo, qui Paradisi gloriam infectantur, in hos substantiam & redditus annuos expendo, plus enim emolumenti mihi pariunt canes hi in vna die, quam venatici in decē annis compararent.* Dignam reuera tanto duce sententiam, quæ etiã aureis in sculpi debeat lit-

K 3 teris

*Munster. l. 2.
cosmog.
Raphael. vo.
later. lib. 3.
Georg.*

teris in in cordibus aulicorum, ita vanitati deditorum. Non patiuntur demesticos canes fame præmi, attamen Christi membra ostiatim victum inquirere tolerant. *ô morales! ô tempora dura!* diues epulo canibus suis sufficientia præbebat alimenta, at verò famelicum Lazarum in ianuis suis mori sinebat media.

Luc. 16.



QVOD ANIMÆ NO-
STRÆ VIRTVTVM INDIGEN-
TI, VIRTVTIS SVBSTAN-
tia fit primo subueni-
endum.

CAPVT XXXV.

*Primo sibi
subuenien-
dum est.*

QVamuis pauperibus subuenire, charitatis fit opus maxime perfectum, videndum tamen est vt sibi proprieque saluti provideat, qui alienæ indigentia subuenire desiderat. Hoc sane summi consilij est, hoc etiam Sapiens consultum esse demonstravit, cum inquit: *Miserere anima tua*

plâ.